

773

P A T R I S T I C I

774

Viro hoc celebri memorantur, indicanturque *Codices* alii Versiōnem hanc nostram continentes, cui, utut fideli, minus tamen cultae succedere Versio *Jac. Fabri Stapul. Jac. Billii*, et haec limata denuo a *Mich. le Quien* O. P. qui cum aliis *Johannis Damasc.* Operibus nostrum titulo: *Εκδοσις ἀρχαίας τῆς ὁρθοδόξου Πιστεως* edidit *Parif. 1712. T. I. p. 123.* Rubrica C. 1. in *Cod.* nostro haec est: *Quam incomprehensibilis est deus. et quam non oportet querere et circumscrutari que non sunt tradita nobis a sanctis prophetis et apostolis et ewangelis.* Initium vero: *Deum nemo uidit unquam. Vnigenitus filius dei qui est in sinu patris ipse enarrauit &c. Finis: indeficiens id quod ab ipso est gaudium fructificantes. Explicit damascenus.*

IV. fol. 273. p. 2. *Incipit de spiritu et anima.* Initium: *Quoniam dictum est mihi, ut meipsum cognoscam &c. Cod. CCXXV.* Tractatum hunc produximus sub *Augustini* nomine, inter cujus *Reiectanea* etiam legitur edit. *Maur. T. VI. Append. col. 35.* Extat tamen etiam apud *Hugonem de S. Victore*, in cujus edit. *Rotom. 1648. T. II. p. 135. Librum II. de Anima* constituit et *Capitibus 33.* definitur, in quorum 18. et 19. unitis finitur in *Codice* his verbis: *aliud non sit quam ratio; quae sunt postrema Capitibus 33. in edit. Maur. supracit.* cujus autoribus *Compilatio* haec tribuenda videtur *Alchero Claraevall.* Mo-

nacho. Vide *praeuium* eorum *Monitum.*

CCXXXIX.

VI F 22

*Codex* membraneus lat. Sec. 4<sup>o</sup> XII. Folior. 157. 4. probe scriptus, rubricisque signatus *Varia* complectitur, quae suo ordine edifferemus. I. *In Nomine domini. Incipit Liber Sancti Augustini De Quatuor Virtutibus Caritatis.* Est *Sermo* in illud *Pauli ad Cor. I. 13. Caritas omnia tolerat, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet*, quae 4. καλα *Nofter quatuor Virtutes* adpellat. *Abjudicatus Augustino* legitur in *Append. Opp. T. V. edit. Maur. Parif. 1683. col. 190.* *Incipit: Desiderium caritatis uestre a nobis exigit debitum sermonis officium &c. et finit: fructum in uobis inueniat operis. non folia laudis.* Lectio in *Edit.* perfectior.

II. fol. 7. *Incipit sermo sancti Augustini De Penitentia.* Ita inscriptus legitur etiam inter *Homilias Caesarii Arelat.* numero XLIV. *Bibl. PP. Lugd. T. VIII. p. 859.* Neutrius tamen esse censent *Autores Hist. Lit. Franc. T. III. p. 228.* Quoniam vero bonae notae est, et in *Bibl. suprac.* principio mancus, quae ibi defunt, e *Cod.* supplebo. *Admoneo Fratres in conspectu dei timore uestro timorem meum. Qui autem non timet, timentem me contempnit. sed malo suo. Audite ergo quae dicturus sum. Certus sum quia homo baptizatus sed uitam non audeo*

Ccc 2

audeo

*audeo dicere peccator* (Mendosum hic aliquid, collatione tollendum) *quis enim sine peccato. sed si uitam sine crimine duxerit. et alia peccata habuerit quae cottidie dimittantur in oratione dicentis. dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. si ergo faciat quod sibi a deo cupit fieri. quando diem finierit uitam non finit. sed transit de uita ad uitam. de laboriosa ad quietam. de misera ad beatam. de temporali ad eternam. Siue iste uoluntate sua currat ad baptismum. siue in periculo constitutus baptizetur et transeat. ad deum uadit. ad requiem uadit. baptizatus autem et postea desertor uiolatorque sacramenti fuerit. peccat et deum repellit a se. Si autem agat penitentiam &c. deinceps, ut in *Edit.* licet frequenti Lectionis varietate.*

III. fol. 8. p. 2. *Incipit ejusdem* (Augustini) *de ieiunio et oratione.* Initium: *Aduersus Demonum nequitiam que dominus arma nobis ostendit. debemus utique retinere &c.* Finis: *Hoc prestat ieiunium. hoc prestat oratio.* Sermo brevis ablegatus a *Maurianis* ad *Append.* T. V. col. 134.

IV. fol. 9. p. 2. *Admonitio ad populum.* Initium: *Hodierna die qui baptizati sunt in christo et regenerati alloquamur eos. et uos in eis. et ipsos in uobis &c.* Est *Augustini Sermo I. in die Paschae* T. V. col. 968. qui finit: *sed uoluit de sepulchro resurgere, non abs lectionis varietate.* Ita *Edita:* *inter paucos angustam uiam ambulantes non eritis.* Cod. in pau-

*cis angustam uiam non ambulatis.* Ed. *diaboli susurrationem.* Cod. *usurpationem.* Ed. *Venit inimicus.* Cod. *Monet &c.*

V. fol. 11. *De Morte.* Initium: *Mors autem uera quam non timent homines. separatio est anime a deo. &c.* Excerptum est ex *Aug. Sermone II. in Partem 2. Psalmi XLVIII. et v. Sicut oves in inferno positae &c.* qui legitur T. IV. col. 436. Pertingit autem a n. 2. ad n. 5. in haec uerba definens: *tantam uetustatem et corruptionem suppliciorum habebit in inferno.*

VI. fol. 13. *In hoc libello increpatur dolosus et iracundus.* Initium: *Intendite fratres mei ad caritatem. quam sic laudat diuina scriptura &c.* Est *Sermo Aug. de Dilectione Inimicorum*, qui legitur T. V. col. 1491. et finit: *in hoc mortali corpore et in futuro. in secula seculorum. Amen.* Textus mendosior *Editis.* Ita legas *cauallarius* pro *Tabellarius.*

VII. fol. 14. p. 2. *Sermo sancti Augustini De quadagesime abstinentia.* Initium: *Omne Vite nostre tempus stadium quoddam debemus putare uirtutum &c.* Finis: *ut ad eternam et ueram uitam uos perducatur ipse, qui uiuit &c.* Repositus in *Append.* T. V. col. 253. *De Quadagesima IV.*

VIII. fol. 15. p. 2. *De Cogitationibus.* Initium: *Primum quidem cogitationibus malis repugnandum est. ut cum aliquid carnale aut sordidum &c.* T. VI. *Aug. in Append. censetur Sermo LXXVI. ad Fratres in Eremito, col. 378.*

777

## P A T R I S T I C I

778

ubi notant *Mauriani*, illum jam in *Cod. Remig.* 700. annorum *Augustino* tribui.

IX. fol. 16. p. 2. *Incipit sermo sancti Augustini ubi increpat (ur) qui diu iram in pectore retinet et non uult humiliari.* Initium: *Omnis Homo qui uult de inimico suo uindicari &c.* Est *Sermo LXXIII. ad Fratres in Eremito T. VI. col. 377.*

X. fol. 17. *De Decimis.* Initium: *Scriptum est Fratres domini est terra et plenitudo eius. Serui domini sumus pariter et coloni &c.* Reipsa *Sermo LXXVII. Caesarii*, reiectus in *Append. T. V. Aug. col. 460.* verum multum interpolatus, et jam in *Edit.* jam in *Cod.* plenior; in *Cod.* tamen deficiens in his verbis: *Nemo te fideliter redimit. quia tu te redimere noluisti.*

XI. fol. 18. p. 2. *Sermo eiusdem. De futura uita cogitandum.* Initium: *Fratres karissimi. quod audiimus dici ut sursum cor habeamus spe fit &c.* Pars est *Sermonis de Ascensione Domini*, quem *Mauriani* e vetustissimo *Cod. Remigiano* erutum *Augustino* tribuerunt *T. V. col. 1521.* Fortasse tamen non nisi e variis *Augustini* cogitatis confarcinatus est. Ita expositionem loci *Aetor. IX. 4. Saule, Saule! quid me persequeris &c.* et similitudinem de uno alterius pedem calcante eandem habet *Augustinus Serm. CCCXLV. de Contemptu Mundi. T. eod. col. 1336.*

XII. fol. 19. *De Oratione Dominica.* Initium: *Fratres diebus*

*istis quos agimus obseruatione uite nostre quamdiu uiuimus. admonet nos scriptura diuina &c.* Difficile quis ex hoc initio arbitretur *Sermonem* hunc esse *Augustini CCXI. In Quadragesima VII. T. V. col. 933.* inscriptum: *De fraterna Concordia et condonatione offensarum.* Verum integer non est; post verba enim: *et utinam eradicet illa deus de agro suo id est de cordibus uestris*, sequuntur aliunde congesta monita de Dilectione, Pace, Officio Sacerdotum, quae in *Augustino* non reperi, quaeque incipiunt: *Diuina uox est. inueniam quod dimisi. Plantare radicitus dei est. euellere penitus inimici &c.* Nec adeo bene cohaerent.

XIII. fol. 21. *De Diuite.* Initium: *Quem enim diligit deus corripit. flagellat autem omnem filium quem recipit. Igitur si omnem filium ad hoc flagellat ut corrigat &c.* Est Pars posterior *Sermonis LVI.* in *Append. T. V. col. 103.* quam notant *Mauriani* in quodam *Cod. Victorino* pariter fine Parte priori inueniri, et *Caesario* inscribi. Obserua, quam ineptos et indagatori molestos Titulos Latinis hisce suis praefixerit Librarius noster.

XIV. fol. 23. *De natiuitate domini.* Initium: *Audistis Fratres Quemadmodum nobis hodie euangelista generationis christi retulerit sacramentum &c.* *Sermonem* hunc non spernendum neque apud *Augustinum*, neque alibi inuenio. Prosequitur ille: *Christi inquit generatio sic erat. Cum esset desponsata*

*sata — uoluit occulte dimittere eam. Et quomodo iustus, qui conceptum sponsæ non discutit. suspecti non exequitur causas. pudoris coniugii famam non uindicat. sed relinquit. Uoluit occulte dimittere eam. Hoc pio magis conuenire quam iusto uidetur. sed humano iudicio non diuino. Penes deum neque pietas sine iusticia est. neque sine pietate iusticia. Celesti sensu sine bonitate æquitas. sine æquitate bonitas non habetur. Uirtutes semper complexæ sibi sunt. uirtutes si separatæ fuerint dilabuntur. Equitas sine bonitate seuitia est. et iusticia sine pietate crudelitas &c. Post Leonis M. tempora, id est, medium Sec. V. scriptum esse suadent ista: Ueniant et audiant qui greco turbine latinam nubilare nisi sunt puritatem. Antropotokon. cristotokon. Theotokon. Exit: Hæretice desine iudicare iudicem tuum. sed adora in celis deum. quem deum magus adorauit in terris.*

XV. fol. 25. Absque titulo, sed e præuio Codici elencho: *Eiusdem* (Augustini) *ad Virgines.* Initium: *Cum Mortalium mutabilis mens. uel bonis aliquando uel malis intentionibus delectetur &c. Augustinum non sapit hæc Tractatio, ideo rejecta in Append. T. VI. col. 227. titulo: De Sobrietate et Castitate.*

XVI. fol. 32. Absque titulo, sed e præuio elencho: *Eiusdem de Carne superba.* Initium: *Ad Te manum meam extendo. Quem sentio in timore dei tenere uexillum &c. Paulo post hæc coincidunt cum c. 64. Tractatus de*

*salutaribus Documentis ad quendam Comitem al. Militem olim Augustino tributi, sed restituendi Paulino Aquilej. ut uolunt Mauriani, qui eum in Append. T. VI. col. 193. collocare. Verum post ea uerba: sed caro peccat quæ grauat animam, Noster alio euagari incipit hoc modo: Oculi autem duces sunt carnis. qui illi ducatum prestant, ut caro peccat. Anima autem nostra carcerem patitur. qui eam tenet inclusam &c. Sed nimis frivola sunt, quæ sequuntur, ad Animam et Carnem ἀποστοφαί.*

XVII. fol. 34. p. 2. Absque titulo, sed ex elencho: *Eiusdem de quinta feria passionis. Elegans Sermo, quem tamen inter Augustinianos et Aliorum alios incassum quaesivi. Incipit ille: In hodiernum Convivium qui sollempni frequentia conuenistis. et cum christi discipulis immolatione agni pascha facere festinastis. sincera queso et plena caritatis pectora diuinis exhibete mysteriis. Nulla sit in mente duplicitas. ne liuoris nubilo interior homo fuscetur. Agnum comessurus agni innocentiam preferat. nec immaculate ouis lupina membra transfundat in uiscera &c. Hinc ad exemplum Judæ delabitur, a Juda ad Petri negationem, et tandem concludit: Unde et nos fratres unanimiter fugiamus iniquorum fallatiosâ conloquia. ut cum sanctis participemus gratiam sempiternam ueram pacem et trinitatis perpetuam unitatem ut cum sanctis omnibus in regnis celestibus triumphemus.*

XVIII. fol. 36. p. 2. E prae-  
vio Codici Elencho: *Ejusdem*  
(Aug.) *de sexta feria*. Initium:  
*Evangelicę series lectionis qua per*  
*ordinem passionis dominicę gloriam*  
*didicistis. credo quod adfatim non*  
*solum aures. sed et corda uestre*  
*deuotionis expleuerit*. Percurritur  
breviter Reliquum *Passionis Chri-*  
*sti*, et definitur in haec verba:  
*uacui facti sunt carceres sepulchro-*  
*rum et rediuiua corpora dominum*  
*agnouerunt*. Videtur ejusdem cum  
praecedente Autoris mihi igno-  
ti; *Augustini* enim non esse, cum  
stilus, tum frequentes, in quos  
erumpit, adfectus suadent. At-  
que in hoc *Sermone* finit. Elen-  
chus Codici praefixus.

XIX. fol. 38. p. 2. Inscriptio  
a secunda manu: *Incipit Vita*  
*Sancti Augustini Episcopi a Pos-*  
*sidio episcopo conscripta*. Initium:  
*Inspirante Rerum omnium Facto-*  
*re et Governatore (Deo) mei me-*  
*mor propositi &c.* Vita haec a  
*Possidio Ep. Calamensi* in *Numi-*  
*dia*, qui per annos paene XL.  
magni Praefulis, ut ait, *carita-*  
*ti inhaesit*, scripta legitur edit.  
*Maur. T. X. append. col. 257.*  
et quidem correctius, quam in  
*Cod.* ubi mox sub initium infidio-  
sa menda euangelica pro angelica  
et *Kartaginensi* pro *Thagastensi*.  
Finis: *et in futuro omnipotentis*  
*dei promissis cum eodem perfruar.*  
*Amen.*

XX. fol. 62. *Incipit sermo do-*  
*mini iohannis constantinopolitani*  
*episcopi*. Initium: *Rogat dauid. ut*  
*multum ab iniquitate saluetur.*  
*quod ergo pro hoc munus intulit?*

*Deo dixit. miserere mei &c.* Ne-  
que *Sermo* integer est, sed ex-  
cerptum ex *Hom. II. in Psal.*  
*L.* quae legitur in edit. *Opp. Pa-*  
*ris. T. V. 1724. p. 588.* Neque  
*Homilia* ista *Chrysofomi* est, ut  
*ibid. p. 572.* docet *Montefalco-*  
*nus*. Neque Versio exacta. Ita  
paullo post quod graece: συναλ-  
λαγμα 'εσι. διδωσιν ο θεος, διδωσιν  
ο σωζομενος. εδωκεν ο θεος 'ελεος,  
'εδωκεν ο σωζομενος εξομολογησιν.  
Noster reddit, *Uicissitudo est.*  
*deus dat quod et saluti proficiat*  
*reus. Deus dedit misericordiam*  
*suam. dedit et qui peccauit confes-*  
*sionem peccatorum suorum.* Ulti-  
ma sunt: *et dum hec facis deus*  
*dat remedium anime tue*, quae  
nequidem in Graeco habentur.

XXI. fol. 63. p. 2. ἀνεπιγχα-  
φος *Congeries* quaedam *Praecep-*  
*torum* moralium, cujus initium:  
*Dilige deum. sapientiam disce. om-*  
*nia cum mensura age. Quod odis*  
*et tibi fieri non uis alii non facias*  
&c. Finis: *Scit enim deus peti-*  
*ciones tuas ante quam petas. et*  
*que cogitas non ignorat.*

XXII. fol. 65. rursus ἀνεπιγχα-  
φος *Affertio* *Deum esse facto-*  
*rem Animarum*. Initium: *Sic enim*  
*dicit deus. a me enim exiit spiri-*  
*tus. et flatum omnem ego creo.*  
*Nonne hic est deus qui uocauit*  
*puerum suum iacob et israel ser-*  
*uum suum qui finxit eum in utero*  
&c. Ita conglobatis multis *Scrip-*  
*turae* locis concluditur: *Cesset*  
*assertio prauissima nullis auctoribus*  
*communita. cesset plato qui dicit*  
*fontem esse animarum. cesset her-*  
*mogenes qui dicit nihil post mor-*  
*tem*

tem hominem futurum. cesset episcurus qui testatur ad uicem eorum. cesset nefandissima secta saduceorum que resurrectionem negat. cesset aristotiles pariter et manes similis eorum qui dicunt corpus esse fantasma &c.

XXIII. fol. 67. sequitur alia manu exaratum *Diplomatarium*, seu *Epistolare* quod sequentia complectitur: 1<sup>o</sup>. *Epistolam Symmaci Papae ad Theodorum sancte lauriacensis aeccliesie archiepiscopum*, quae incipit: *Diebus uite tue pallii usum &c.* Theodorum hunc inter Episcopos vagos seu regionarios censet M. Hansizius T. I. *Germ. Sacr. Coroll.* 2. et 5. *Epistola* data inter an. 498 — 514. legitur ad calc. *Chronici Reichersperg.* editi *Monachii* per Cph. *Gewoldum* 1611. p. 5. 4. 2<sup>do</sup>. *Epistolam Agapiti Papae ad Gerbardum sancte lauriacensis ecclesie archiepiscopum*, quae incipit: *Peticiones tuas pro renouandis siue approbandis ecclesie tue priuilegiis &c.* Gerbardus obiit a. 946. aut 47. *Agapitus* a. 946. sedem conscendit. *Epistola* legitur post *Chron. cit.* p. 13. 3<sup>io</sup>. *Epistolam Eugenii (II.) Papae ad Rathfredum sancte fauianensis ecclesie, methodium speculiuliensis quae et ouguturenensis (ed. Soriguturenensis) alchuuinum nitrauenensis, ammonem vetuarenensis episcopos; item Tutundum et Moimarum duces huius que et auaria dicitur. atque marauig.* Incipit: *Desiderio salutis animarum uestrarum filii in christo karissimi &c.* Data intra an. 824 — 26. legitur *Chron. cit.*

p. 17. 4<sup>o</sup>. *Epistolam Hattonis (I.) presulis mogontiensis ecclesie ad Papam*, qui fuit *Johannes IX.* nuntiatur enim illi mors *Arnulfi Imp.* quae in an. 899. incidit *Johannis* secundum. Mirum tamen videri possit mortem *Arnulfi* e *Germania* in *Italiam* nuntiari, cum is in *Italia Firmum* obfidens extinctus sit. Incipit: *Nouerit igitur sublimitas sanctitatis uestre quod nulla fratrum unanimitas &c.* et legitur *Chron. cit.* p. 20. 5<sup>o</sup>. *Epistolam Leonis Papae Junioris, i. e. VII. ad Gerbardum sancte lauriacensis ecclesie archiepiscopum.* Incipit: *Si pastores ouium solem geluque pro gregis sui custodia &c.* Scripta an. 937. ut *Hansiz. cit.* qui eam p. 191. totam refert, non tamen e *Gewoldo* p. 6. neque e nostro *Cod.* cum ab utroque in minutis quibusdam differat. 6<sup>o</sup>. *Epistolam Ejusdem Leonis ad Reges, duces, episcopos, abbates, comites, egilolfum iuuuuiensis, isingrimum ratisponensis, lantbertum frisingensis, uisundum sebonensis ecclesie episcopos et ceteros per galliam, germaniam, bauuariam, alamanniam commorantes.* Initium: *Si instituta ecclesiastica ut sunt a beatis apostolis tradita &c.* Scripta intra an. 935 — 39. quibus fedit *Egilolfus.* Extat *Chron. cit.* p. 8. sed confer etiam *Hansizii T. II.* p. 147. et I. p. 192. 7<sup>mo</sup>. *Epistolam theotmari iuuuuiensis, Uualdonis frisingensis, Erchanbaldi eistatensis, Zacharie sebonensis, Tutonis radisponensis, Richarii patuiensis ecclesie episcoporum ad*

iobannem (IX.) pontificem. Incipit: *Antecessorum uestrorum decretis et catholicorum patrum institutis &c.* et legitur cum *Chron. cit.* p. 33. tum *Hansiz. T. I.* p. 176. sed utrobique prave scrip-

tum *Maraci* pro *Maravi*, ut habet *Noster*. Pertinet ad an. 900. sub cuius finem *Johannes* obiit. In 4. subjectis verficulis miror, neque *Gewoldum* nec *Hansizium* vidisse *σφαλμα*:

*Sisque tuis famulis protector verus et impos  
Commendes Domino &c.*

Repone cum *Nostro*, et ipsos *Commendes domino. 8<sup>vo</sup>. Epistolam Benedicti (VII.) pontificis ad Hrobertum (Ruotbertum, Rupertum) mogontinæ, diotricum treuerensis, adalbertum magdaburgensis, gereonem coloniensis, fridaricum iuuauenensis adaldagum premensis ecclesie archiepiscopos, item Ottonem (II.) Imp. et nepotem ejus heinricum ducem bauuariorum &c.* Initium: *Oportet iustis supplicantium petitionibus nos semper faciles &c.* Epistola ad an. 974. pertinet, et legitur in *Chron. cit.* p. 29. *Hansiz. T. I.* p. 213. 9<sup>no</sup>. *Epistolam Piligrimi sancte lauricensis ecclesie humilis seruitoris ad benedictum (VII.) pontificem.* Initium: *Notum fieri dignetur uobis summe sacerdotum presul &c.* Epistola ejusdem anni, legitur in *Chron. cit.* p. 24. *Hansiz. T. I.* p. 211.

Novem his *Epistolis* adhaerent *Chartae IV.* *Prima* hujus tenoris: *Cunctis christiana fidelitate degentibus notum sit presentibus atque futuris. quod comes Ratpoto pro remedio anime sue. coniugisque Matbilde tradidit pontifici Eigilberto (Egilberto, Angelberto, Engelberto) patauiensis*  
*Denis Codd. mss. theol. Bibl. Palat.*

*ecclesie prouisorii. ecclesiam quam in patrimonio suo construxit. Ernustisprunin. cum dote. et familia atque decimatione. quin cum omni lege. Huius videlicet muneris donum pretitulatus presul rogauit tradere in manum piligrimi sui militis. eo tenore. ut sua comitisque presignati postulatione traderet quocumque (quandocumque?) peterent. His namque rebus ita completis. dedicauit ecclesiam predictus pontifex. Ecce celebratione dedicationis completa. tradidit piligrimus manu potentatiua (alias potestativa) postulatione comitis et episcopi ecclesiam prefatam ad sanctum stephanum perpetualiter seruituram. Huius rei testes sunt. Ratpoto. Purchart. Arnolt. Aribo. Ekkiribc. Gerbobc. Hartuuc. Arnolt. Sedit Engelbertus hic ab an. 1045—65. Ernstbrunn inf. Austriae Oppidum hodie ad Comites Sinzendorfos pertinet. Secunda Charta confirmat Ecclesiae Pataviensi Jus Decimationis intra Anesum (Onasum) fluvium et Comagenum (Cetium) Montem Piligrimo Episcopo, atque adeo intra an. 971. et 991. Legitur illa, quod mirum, ad calcem supra recensiti *Epistolaris**

in edit. *Gewoldi* p. 38. uti et sequens. Confer etiam *Hansizium* T. II. p. 204. Nomina *Sacramentalium* f. *Testium* variant. *Tertia*, ut dixi, extat apud *Gewold*. p. 39. pariter *Piligrimo* sedente, agitque de *Decimis ad Ecclesias baptismales* (parochiales) in *Austria* super. *pertinentibus*. Sed nomina *Locorum* non parum variant. Ita Edit. *Sirnich*, *Sabanich*, *Strepurch*, *Rutte*, *Suamar*, *Ravueschwanch*, *Tunzendorff*, *Schonbering*, *Nardin*, Cod. vero *Sirnicha*, *Sabinicha*, *Stirapurch*, *Rum*, *Suammara*, *Wolfeswanch*, *Tunzinstorf*, *Sconberigan*, *Nardina*. Edit. *decimam de Agest* et *de Buechnauwe*, Cod. *decimam de agesta*. ex *colonis omnique curtis illius pertinentia*. *Ad linsam autem decimam de chazapach*. et *de puochonoua*. Quae loca paene omnia parce detortis nominibus vel hodie supersunt. Praeterea in Edit. omissi sunt *Sacramentales* vel *Testes jurati* sequentes: *Mimilo*. *Ellinperbt*. *Reginger*. *Eccho*. *Walto*. *Altman*. *Reginbart*. *Azali*. *Hezeman*. *Liuziman*. *Gezo*. *Item Gelo*. Et in universum scribendi Ratio multo recentior in Edit. quam in Cod. *Quarta* pariter, uti *Prima*, inedita sic sonat: *Sciat industria omnium christi fidelium presentium atque futurorum. qualiter comes Keroldus pro redemptione animae suae conjugisque suae christinae donaret presuli Egilberto patauiensis ecclesiae prouisorii. ecclesiam quam construxit in predio suo. Hornarun.* (Horna Civ. Austriae?) cum do-

te et familia ac decimatione. et cum omni lege. Tanti uidelicet muneris donaria pontifex pretitulus rogauit mox tradere in manum piligrimi. ea lege ut sua comitisque presignati postulatione traderet. quocumque peteret. His ita pro certo completis dedicauit episcopus ecclesiam. Ecce sacramento angelicae celebrationis finito tradidit piligrinus potentatiua manu postulatione comitis. et episcopi ecclesiam prefatam ad sanctum Stephanum (Titulum scil. Ecclesiae Cathedr. Patav.) inibi perpetuiter famulaturam. Huius rei testes sunt. *Kerolt*. *Poppo*. *Gerboch*. *Hartuic*. *Rassolt*. *Adabram*. *Pero*. *Gotapolt*. *Lanzo*. *Walthalm*.

XXIV. fol. 91. praemisso *Elencho* sequuntur varia e *PP*. congesta genuina et spuria, manueque elegantiore descripta, et primo quidem: *Sermo Venerabilis Viri Ambrosii Episcopi de Dignitate Sacerdotis ad Theodorum Subdiaconum*. Extat *Sermo* hic seu *Libellus* inter *Ambrosio* subposita edit. *Maur*. T. II. *Paris*. 1690. col. 357. enumeranturque in *Admonit.* praevia diversae Inscriptiones, quibus in variis *Codd.* et *Editt.* gaudet; nullibi tamen *Theodori Subdiaconi* facta mentione. Cum vero ubique *Ambrosio* tribuatur, *Mabilonius* in unico *Cod. Lemovic.* *Gilberto Philosopho*, qui postea *Silvester* II. Sec. X. Pont. Rom. fuit, inscriptum invenit, et P. II. *Analect.* edidit, veriolem certe Autorem nactus, sed *Gerbertus* pro *Gilberto* dicendus erat.

Exem-

Exemplum porro nostrum non modo ab edit. *Mabillon.* verum etiam a *supracit.* multum differt, ut vel e principio, quod adducam, liquebit. *Si periculum damnationis æternæ quam nequam seruus pro retenta pecunia domini sui meruit uolumus euadere fratres karissimi. sollicitè considerare debemus. quam terribiliter euangelicus eum sermo increpat dicens. Serue nequam. quare non dedisti pecuniam meam &c.* Per decursum tamen Sententia, quin et verba passim seruata sunt, constructione solum mutata. C. V. ubi *Simoniaci* belle depinguntur, pro *aurum de locello inuehere*, *Noster* legit: *aurum de sacello minuere.* Finis: *quæ sanctis tuis omnibus promissisti dare. Tibi laus. tibi gratiarum actio. tibi honor uirtus et potestas per infinita secula seculorum Amen.*

XXV. fol. 99. p. 2. *Hieronymus de Sacris Ordinibus.* Initium: *Sacerdotalis nominis dignitatem quisquis cognoscere cupis &c.* Si paulisper legendo progredieris, incidis in *Opusculum de Septem Ordinibus Ecclesiae*, jam *Sec. IX. Hincmaro Rhem.* laudatum, sed *Isidoro Hisp.* e quo quaedam mutuatur, recentius, atque adeo inter *Hieronymi* spuria locatum T. XI. edit. *Vallars.* col. 113. Atque hic solummodo Prooemium habes, cui Interpolatur *Homiliae* speciem dedit, ut patet e fine: *deus erit semper memoria tui* (edit. in memoria tua) *et tu ad deum gaudens reuerteris* (edit. in domum tuam reuerteris) *ipso auxi-*

*liante domino nostro Ihesu christo. qui cum patre &c.*

XXVI. fol. 103. *De Sacramentis septem graduum ecclesiasticorum hier.* Praemisit hic Interpolator: *De Sacramentis septem graduum ecclesiasticorum prout domino inspirante possumus. ediffere re summis nisibus inchoamus.* Dein sequitur de primo seu *Fossariorum Ordine*, ut in edit. *Primus ergo in clericis fossariorum ordo est &c.* et sic de reliquis Ordinibus usque ad *Episcopalem*, qui cum edit. consentit usque ad illa verba: *ac melioris* (meliores?) *laicos scientiæ agnitione uel uite intra ecclesiam recognoveris.* Hic vero in longe diuersa, sed, ut mihi videtur, magis cohaerentia abit *Codex* noster, secus ac in edit. ubi nescio quae de *Catechumenis*, *Competentibus* ac *Baptizatis* sequuntur, cum *Noster* Episcopum instruere pergat hoc tenore: *Cessa si placet tale aliquid in ecclesia facere. sed potius prelatos quosque uiros elige. qui ordinati fidem teneant. dominum predicent. salutem adnuntient uniuersis. et bis qui peruersi sunt contradicant.* Ita postquam de Ordinatione, de Monachis, de Abstinentia et Jejunio egisset, dixissetque inter alia: *Volentes autem die sabbati ieiunare. ne prohibeas. sed potius iuues.* — *Die autem dominica reficiendum est. ut resurrectionis christi testes gaudium domini gentibus predicemus. Presertim cum apostolica sedes hanc regulam seruat. ut unusquisque episcoporum ecclesie suæ consuetudi-*

nem prout uoluerit immutet, rursum cum edit. in his verbis coincidit: *Que si in caritate (edit. veritate) complecteris. intelligis (ed. intelligens) deum. opus uite agis et connaris (edit. commoraris) in Christo &c.* Finis: *ut remissionem consequar peccatorum meorum,* post quae *Edita 30. lineis* ultra procurrunt, *Nostrum* vero formula homiletica terminat: *Prestante domino nostro ihesu christo. qui cum patre &c.* Quae ab *Editis* absunt, 4. paginas constituunt in *Codice*, atque nec *Martiana*, nec *Vallarsio* Exemplum tale oblatum est.

XXVII. fol. 116. *Item sermo sancti hieronimi ad rectores ecclesiarum de exortatione misericordie et remissione peccatorum.* Volupe videtur fuisse *Codici* hujus scribae Titulos excogitare, qui investigatoribus crucem figerent. Quae hic vendit, deprompta sunt ex *Hieronimi Comment. in Epist. ad Ephef.* L. III. edit. *suprac. T. VII. col. 637.* praefixo initio homiletico in hunc modum: *Audistis in Lectione Apostolica cum legeretur fratres karissimi dicentem ephefensis beatum apostolum paulum. et per eos omnibus christi fidelibus. maxime tamen speculatoribus ecclesie dei ubi ait. Estote autem inuicem benigni &c.*

XXVIII. fol. 117. p. 2. *Item Sermo Sancti Hieronimi de Doctrina Sacerdotum.* Initium: *In Sermonem igitur Fratres mei quem Beatus Paulus apostolus ephefensis dixit. et ipse dedit quosdam apo-*

*stolos &c.* Similis lacinia ex iisdem *Commentar. L. II. edit. suprac. T. VII. col. 614.* Non fat concinnum Exordium; neque enim *Paulus Sermonem* dixit, sed *Epistolam* scripsit *Ephefensis.*

XXIX. fol. 119. *Item sermo sancti hier. qualiter errantes a doctoribus corrigantur.* Initium: *Dignum existimo Fratres mei Dilectissimi ad eruditionem nostram apostoli uerba subtiliter indagare. qualiter ea quae in eis lateant &c.* Excerptum ex *Ejusd. Comment. in Epist. ad Galat. in C. VI. v. 1.* edit. *suprac. T. VII. L. III. col. 518.*

XXX. fol. 121. *Item sermo sancti hier. quomodo intelligendum sit quod apostolus dicit: fructus spiritus est caritas.* Initium: *Salutare satis et utile esse iudicatur fratres karissimi indagare subtiliter &c.* Laciniae duae ex eod. *Comment. L. III. C. V. prior in v. 13. col. 494. altera in v. 22. col. 510.*

XXXI. fol. 124. *De hoc quod dicit apostolus paulus ad galathas. bonum autem emulamini semper in bono.* Initium: *Paulo latius edisserere Caritati uestre desideramus karissimi fratres &c.* Titulus unam cum initio facit sententiam. Ex eod. *Comment. in Epist. ad Galat. C. IV. v. 17. 18. edit. cit. col. 463.* Sed post uerba *Hier. et nequaquam perire patientur, is, qui Hieronymum Homiletum fecit, adhortationem 17. linear. adiecit, quae incipit: Sed nunc o fratres et participes officii mei*

*mei blande leniterque uos alloquor &c.* et ad invigilandum alienae saluti extimulat.

XXXII. fol. 125. p. 2. *Item sermo sancti hieronimi de humilitate sacerdotum.* Initium: *Sicut Dominus et saluator noster in euangelio nos instruit humilitatem tenere fratres mei &c.* Ex eod. *Comment.* in C. VI. v. 3. et 4. edit. cit. col. 522.

XXXIII. fol. 127. p. 2. *Item sermo sancti hier. de sollicitudine sacerdotum in populo.* Initium: *De hoc quod apostolus ait ad galathas. Filioli mei quos iterum parturio &c. breuiter pertractare oportet dilectissimi nobis &c.* Ex eod. in C. IV. v. 19. edit. col. 465.

XXXIV. fol. 129. p. 2. *Item hier. de doctrina sacerdotum in populo.* Initium: *Beati qui ambulat in uirtutum uia, sed si ad uirtutes usque peruenerint &c.* Ex eod. *Comment.* in C. IV. v. 15. 16. edit. col. 461.

XXXV. fol. 131. *Item sermo sancti hieronimi de caritate uel sollicitudine sacerdotum in populo.* Initium: *Hortatur nos et ammonet apostolus fratres karissimi digna conuersatione in ecclesia dei uiuere cum dicit. Obsecro itaque uos ego uinctus in domino &c.* Ex Eiusd. *Comment.* in *Epist. ad Ephes.* C. IV. v. 1. in edit. cit. col. 606. Omnes hi sic dicti *Sermones Hieronymi*, ut initia, ita et clausulas *homileticas* habent; neque improbanda methodus ista doctrinam *Hieronimi* cum Auditoribus communicandi, dummodo *Anonymus* noster aut nihil de

suo miscuisset, aut consilium suum aperte declarasset.

XXXVI. fol. 133. *Sermo sancti Augustini de uera dilectione in libro de doctrina christiana.* Idem nunc officium impenditur *Augustino*, sed in eo benignius, quod Opus excerptum indicatur. Sunt uero *Excerpta clausulis homileticis* instructa VII. *Primi*, cuius titulum dedimus, initium est: *Cum ergo quatuor sint diligenda &c.* quod legitur edit. *Maur.* T. III. *Paris.* 1689. P. 1. *Lib. 1. col. 11.* *Secundum* inscribitur: *de uera Dilectione*, et incipit: *Omniium autem qui nobiscum deo frui possunt &c.* Edit. cit. *Lib. 1. col. 14.* *Tertium* de VII. *uirtutibus* incipit: *Magnifice igitur et salubriter spiritus sanctus &c.* Edit. cit. *Lib. 2. col. 22.* *Quartum*, quibus modis quisque doctor alios docere debeat, incipit: *In Ecclesiasticis igitur uiris et bona et bene sicut queque res postulat &c.* Edit. cit. *Lib. 4. col. 86.* *Quintum*, *Item* unde supra, incipit: *Tria igitur dictionum esse genera &c.* Edit. cit. *Lib. IV. col. 88.* *Sextum*, *Item* unde supra, incipit: *Doctores igitur ecclesiastici in omnibus sermonibus suis &c.* Edit. cit. *Lib. 4. col. 73.* *Septimum*, *Item* ut supra, incipit: *Debet igitur diuinarum scripturarum scrutator &c.* Edit. cit. *Lib. 4. col. 66.* Ne uero putes *Augustini* Textum decurrere, ut in *Editis*. Saepe *ὁσέγα προτεγα*, saepius omissa quaedam, et distantia inter se connexa.

795

I C O D I C E S

796

XXXVII. fol. 144. p. 2. *Juliani pomerii dicta, differentia dilectionis. uel quid sit sua cuique tribuere.* Initium: *De Differentia diuini amoris et dilectionis seculi plura dicenda sunt fratres mei &c.* Pomerius natione Maurus, ab *Isidoro Hisp.* dictus *Julianus*, Sec. V. vixit et scripsit in *Gallia*. Unicum ejus, quod ad nos peruenit, Opus *de Contemplatione* Libris III. distinctum, ut ut ei ab *Isidoro c. 12. de Script. eccl.* tributum, jam a Sec. VIII. *Prospero Aquit.* inscribatur, dum illud *Fac. Sirmondus* in not. ad *T. II. Concil. Gall.* p. 683. germano Autori vindicaret, cui proinde *Codex* noster testis adfuit. Est enim, quod is repraesentat, *Caput 25. et 26. Libri III. de Vita Contemplativa*, prout perpetram sub nomine *Prosperi* legitur in *Bibl. PP. Lugd. T. VIII.* p. 79. Verum sub finem ineptus *Homilia* noster absoluto c. 26. affuit *Ideam Viri Ecclesiastici: debet esse ecclesiasticus uir acer ingenio, suavis eloquio, sacra literatura peritus &c.* quae deprompta est ex elogio, quod *Pomerius* c. 31. *Augustino* texuit, ubi cum eum a *seculari literatura* celebraret, *Noster* *sacram* substituit, clausulaque denuo *homiletica* subiecta finiit: *Explicit Liber Sermonum Ambrosii. Iheronimi. Augustini Feliciter.* Quod qua fronte, non modico labore nostro experti sumus.

XXXVIII. fol. 146. alio, majoreque charactere, absque omni titulo *Fragmentum Libri I. de Sermone Domini in Monte S. Augustini*, quod incipit ab expositione *C. V. Matth. v. 21. Audistis ergo inquit, quia dictum est antiquis — Quid interest inter reum iudicio &c.* et pertingit usque ad illa verba *v. 32. ut hoc ei et uellet prouenire quod sibi. id est ut ad regnum celorum —*. Extant haec edit. *Maur. T. III. P. 2. col. 174 — 82.* Lectio *Codices* sat proba; imo quod legit: *et ideo sicut leuius est reum esse iudicio, quam esse reum concilio. ita leuius est reum concilio. quam reum esse gebenne ignis. et leuius esse intelligatur irasci &c.* melius videtur eo, quod offerunt *Edita.*

XXXIX. fol. 154. Aliud *Fragmentum ἀπειρησθον* hoc initio: — — *tinguere et colorare lanas docuit nec distinctis auro lapillis et margaritis contexta serie &c.* Posterior Pars est *Opusculi Cypriani de Habitu Virginum*, quod definit: *tantum mementote nunc (tunc) nostri cum incipiet in uobis uirginitas honorari.* Non possum hic praeterire lectionem, quam nec *Pearsonius* nec *Baluzius* et *Maranus* in *Codd.* suis habuisse uidentur. Ponunt illi mox sub *Fragmenti* principium de apostatis Angelis: *quando ad terrena contagia devoluti a caelesti vigore recesserunt; Noster* uero: *caelesti iugo recesserunt*, quod praeferebat, quisquis

quis ad praecedens *devoluti* respexerit, ita, ut sit *jugo devolvi*,

Notat *Pearsonius* in uno *Cod.* legi: *vigore cesserunt*, e quo adparet *to re* errore Librarii *jugo* adnexum, quod *ta cesserunt* praefigi debebat, atque hinc natum *uigore*, quod ob defectum puncti supra literam *i* evenire pronum fuit.

CCXL. VIII. E. 6.

655 Codex membranaceus lat. Sec. XII. Folior. 143. f. a diversis manibus, partim lineis longis, partim per duas columnas nitide exaratus, rubricisque distinctus varia complectitur, ut hic edisserimus: I. *Incipit Liber Sancti Augustini Episcopi. Ad Quendam Comitem Carissimum Sibi.* Initium: *O mi Frater. Si cupis scire quamvis ego nesciam quam perfectissima &c. Augustini non esse dicemus etiam ad Cod. CCXLVIII. quem, si lubet, adi. Tractatus integer. Lectio sat proba.*

II. fol. 23. praemisso Capitulo XV. elencho sequitur: *Admonitio de laude caritatis. et quomodo cunctis uirtutibus preferatur.* In Indice, qui in fronte Codicis manu Sec. XV. scriptus compareret, dicitur *Augustini ad monicam sancte memorie eius genitricem*; verum absone, praeterquam enim, quod in *Augustini* editionibus nulla ejus fiat mentio, Autor totus

quod nitidissimus *Sautelius* de suis versibus:

*Carmina Pieris sponte voluta jugis.*

est in contexendis ex *Historia tripartita* et *Vitis PP.* Legendis monasticis. Incipit vero: *Tue non immemor pie petitionis o carissima mater. tibi ut rogasti scribere studui. noui enim ardorem animi tui erga scripturas diuinas. noui tibi inesse studium legendi. et implendi ea que legis &c.* Ita porro hortatur ad humilitatem, obedientiam, continentiam in visu, sermone et vestitu cum discretione jungendam, compunctionem, orationem, pugnam contra vitia, lectionem et patientiam, parum sane adposite ad *Monicæ* aut aetatem aut conditionem. *Cap. ult.* proluxe *Theodosii Imp.* et *Ambrosii* Historia narratur, ut hoc exemplo liquidum fiat, nemini obesse peccatorum numerum ad veniam, concluditurque: *Ergo si gratia domini largiente bonum opus peregeris. et ea que beatitudini tue scripsi cuncta perfeceris. non tuis uiribus. non tuis meritis hoc tribuas. sed illi qui in te operatur et uelle et perficere pro bona uoluntate. cuique simul est honor et potestas et imperium &c.* Autorem in *PP. Bibliothecis* et alibi diligenter quaesitum tandem *T. II. Thes. Anecd. Pezii P. II. p. 19.* reperi. Est is, si Codici *Tegernseensi*, e quo Opusculum editum, major fides, quam nostro, *Adelberus* incertae sedis Episc. et Mater illa *Nonuinda Reclusa.*